

Vě
368



F. R. 44.

36

Ve
368

DE
JVRE SAXONICO
COMMUNI

DISSERIT

SIMVLQVE

LECTIONES ACADEMICAS
BRVMALES

INDICAT

ADAMVS FRIDERICVS GLAFEY
PHIL. ET J. V. D.

ANNO MDCCXX.



ccc





Axones antiquissimis jam temporibus propriis vixisse legibus sicuti ex aliis (a) ita ex hoc apparet maxime, quod a Carolo M. sub jugum missi suarum legum usum singulari sibi pacto reservaverint. Ita enim canit Poëta Saxo ad annum 803:

*Tum sub iudicibus, quos rex imponeret ipsis
Legatisque, suis permisi legibus uti
Saxones patriis &c.*

qui locus multis usibus fecundus dignus est, ut penitus introspeciat. Dum enim Saxones iudicibus regiis & missis paruisse commemorat autor, illorum statim errorem redarguit, qui Saxoniam proprio fisco & magistratibus usam (b) contra omnem historiarum fidem comminiscuntur. Corruit quoque fabula illa de universa Saxoniam Witichindi Imperio post victoriam a Carolo commissa, quam præter hunc autorem ipsius Caroli M. Capitulare II. anni 805. refellit, ubi variis Saxoniam partibus variè præficiuntur comites. Cadit etiam illorum opinio, qui locum Poëtæ de legibus statum publicum formantibus interpretantur, cui sententiæ in eo quoque patrocinium quærunt, quod reliquas Germaniam nationes proprias habuisse leges privatas ex Eginhardo (c) constet, dum eas a Carolo M. in scripturam tradit redactas.

Sed Saxonum privatae leges a reliquorum se in eo distinguunt, quod vi pacti illius nova legislatione non immutari potuerint, sicuti & illud iure quodam præcipui Saxones habuerunt, quod Capitularia Francorum ipsos non obligaverint, ad quorum auctoritatem reliqui Germaniam populi omnes adstricti erant, ceu probe notat *Dn. D. Hoffmann* amicus mihi singularis eleganti tractatu de veterum legum Germanorum natura & indole. Quæ utique legum Saxoniarum prærogativa posteris quoque temporibus sub imperatoribus Germanicis inconcussa (d) steterit. Reliquis enim statutis plerisque, ut Imperii Recessibus subditi sui obligarentur, iisque Juribus statutariis derogaretur, pro temporum illorum more, facile permittentibus, soli fere Saxones, pristino illo a Carolo M. reliquo ipsis iure memores, protestationibus (e) sibi prospexerunt, ne generalioribus Imperii sanctionibus leges domesticæ tollerentur. Hodie quidem cuilibet principi integrum est, Recessus Imperii pro materia substrata, aut plane non recipere inter suos subditos, aut novellis statutis derogare iis, ita ut ea protestatione opus amplius non sit. Sed secus sese res habebat illis temporibus, quo Cæsares omnem fere per universon Imperium legislationem quodammodo sibi vindicabant. (f) At ne per saltum a Carolingorum ad nostram

(a) Vide Lindenbrochii aliorumque antiquarum Legum Collectiones. (b) Ill. Dn. Coecelius Jur. publ. prud. c. 15. §. 40. &c. cujus distinctio Germaniam in partem mediatam & immediatam ex his rationibus enervis cadit. Frustra tam lubrico fundamento distinctio illa territoriorum in clausa & adperta, que securus a Republicæ Germanicæ sub Conrado I. facie repeti potest, in edificatur, uti alibi demonstrabo. (c) & citato Lindenbrogio. (d) de Henrico II. temporibus locus mox citandus illud testatur. (e) Sic Georgius Dux Sax. Recessui Imperii d. A. 1521. §. 40. non nisi salvo Jure Saxonico subscripsit. Schurffius cent. 3. conf. 37. & Betsius de pact. illustr. c. 2. §. 3. p. 10.

nostram ætatem transiisse videar, revertor in viam, quid Carolingorum stirpe extincta cum jure Saxonico contigerit, ostensurus. Ubi id statim sese mihi offert, quod, Saxonia a Ludovico Germanico (g) Duci concedita, Saxoniarum legum tutela huic quoque cesserit, quod jus omni tempore tuiti sunt principes. Egregie id locus ostendit Ditmari restituti L. 5. apud Leibnitz p. 368. ubi Bernardus Saxoniarum Dux in comitiis Martisburgensibus anno 1002. ab Henrico, hujus nominis secundo, antequam eum regem salutaret, legum Saxoniarum incolunitatem suo & principum Saxoniarum nomine singulari pacto stipulatus est, & obtinuit. Sunt autem Principes, quorum nomine Dux Bernardus (h) cum Cæsare de juris Saxonici confirmatione tractavit, Dux Bohemiarum, Marchiones Saxoniarum & Lusatiarum, Comes Palatinus Saxoniarum una cum Archiepiscopis & Episcopis Bremensi, Magdeburgensi, Paderbornensi, Hildesheimensi, Halberstadtensi, Misnensi, Martisburgensi, Citicensi, Ferdensi cum multis aliis, quos ideo nominasse juvat, ut, quousque (i) juris Saxonici autoritas illo tempore patuerit, simul & id intelligamus, quod Bernardus Saxoniarum Dux non dignitatis aut ordinis ratione, utpote quo Bohemo & Archiepiscopis cessit, nec jure superioritatis, quæ ipsi in Bohemum non competebat, sed jure illo Saxoniarum Ducibus a primis reipublicæ Germanicæ incunabulis reliquo legum Saxoniarum tutelam gesserit, cæterorumque verba locutus sit. Apparet *in super* exinde in Bohemia jam tunc jura Saxonica viguisse, quorum concinnitas mox Polonos, aliasque gentes cepit, ut sua ea facerent, & ad supremum Saxonum judicium, quod Magdeburgi habebant provocarent, qua in re tamen merum arbitrium secuti sunt. Schickfusio (k) quidem & Henelio (l) aliisque *neotericis*, si fides habenda, Fridericus primus imperator juri Saxonico vim legalem in Silesia per id ipsum tribuit, quod Boleslaum Polonorum Ducem cum fratribus de hereditate litigantem *ad curiam Magdeburgensem* remiserit. Sed crassissimo errore hæc fingi, ex Radevico (m) scriptore cœvo patefecit. Hujus enim tradita si cum Schickfusio & Curei (n) narratis conferes, videbis; hos quidem sua omnia a Radevico mutuatos, sed male eum intellexisse, dum contra omnem documentorum publicorum loquendi morem, *curiam Magdeburgi* nativitate Domini celebrandam, (uti id Radevicus exprimit) de jure Saxonico interpretentur, quæ de comitiis Imperii anno 1157. ibi habendis fuisset accipienda. *Sed redio* ad locum Ditmari restituti, quam ad explicandam Auream Bullam, dum Vicariatum Saxonicum ad usum Juris Saxonici dimittitur, utilissimum credo. Iniquum enim illorum postulatum statim evadit, qui juris Saxonici tempore aureæ Bullæ usum per singulas provincias probandum efflagitant, (o) cum vigore ejus per omnes Saxonum provincias ante

Au-

(f) Quo ipso responsum est illustri auctori Germaniarum principis, qui L. 3. c. 5. §. 9. tit. 6. Augusti Electoris contradictionis vim se nescire fatetur. (g) Koswita de Constructione Gandersheimensis cœnobii apud Dn. Leibnitz. T. 2. Rer. Brunsv. p. 375. & 376. (h) terras Brandenburgicas Slavonum tunc temporis dux regebat, qui Bernhardo Saxonum duci paruit. Chronographus Saxo ad ann. 983. n. 196. (i) deest quidem Thuringia cum Hassia sua, sed Thuringi Ditmari teste cum Henrico per ipsorum provinciam profecto idem jam tractaverant. (k) in Chron. Siles. L. 1. c. 19. (l) Silesiogr. c. 9. p. 814. (m) L. 1. c. 5. p. 478. (n) in der Schlesischen Chronik.

JK 76 368

Auream Bullam ex Ditmario nostro ostenso, contraria potius probatio-
 ne elidi debeat. Tutius igitur in explicanda A. B. ad Jus Saxonicum
 provocatur, quatenus usu in judiciis Saxonis a longis retro temporibus
 servatur, quam ad speculum istud Saxonicum, publica auctori-
 tate non munitum. Quis enim eo tempore, quo speculum conscriptum
 est, ducatu Saxonico in varias jam particulas dissecto, omnes Saxonum
 principes, plena libertate usus, ad unum jus alligare valuit? Scriptum au-
 tem est sub ipsius seculi decimi tertii auspiciis, cum non solum Epkovium
 de Repkau in variis apud Beckmannum in Chronico Anhaltino (p) di-
 plomatibus circa annum 1215 testem subscriptum legam, sed & comitem
 Hojerum de Valckenstein in comitiis anni 1224 apud Autorem Chronici
 Montis Sereni deprehendam. Successu vero temporis, provocando ad
 speculum in judiciis privatis, factum est, ut in terris, quæ Saxonie Duci-
 bus & Electori nunc parent, vim legalem induerit, per ipsas Decisiones
 Electorales in tutum collocatam. Fundatam igitur ad speculum Saxo-
 nicum in terris Saxonis provocantes habent intentionem, ceu recte
 notat celeberrimus Hornius in diff. de prerogativa morum Germ. in
 in concursu cum Legibus receptis S. 1. §. 10. adde meine Grundsätze p. 34.
 An vero glossa eadem vi & efficacia gaudeat, a Jctis Saxonis in causa
 metiendi milliaris, intra quod pagi, quo minus cerevisiam eo quant, pro-
 hibentur, disceptatum memini, uti in celeberrimi viri, B. Rivini, enun-
 ciatis legere est. Lipsienses enim pro glossa responderunt, Wittenber-
 gensibus contra sententibus, quorum opinionem *Vir multe fame, sed
 majoris eruditionis Jctissimus Dominus D. HÖLZELIVS amicus mihi col-
 lendus* in causa Mosbach contra Dölitsch solidissimis rationibus firmavit,
 argumento a mensura, quam Potentissimus legislator quartæ parti mil-
 liaris accisa constituit, desumpto, quod rationum pondus movit supre-
 mam curiam Lipsiensem, ut pro sententia hac ita pronunciaret: daß die
 Meile auf sechzig Gewende und jedes Gewende auf sechzig Ruthen
 nicht auszumessen, sondern es wird dieselbe nur auf 1500 Ruthen bil-
 lig gerechnet. W. R. W. Quæ sententia per Leuterationem ita emenda-
 ta est: daß die Meile auf 1500 Ruthen nicht auszumessen, sondern es
 wird dieselbe auf 2000 achteilige Ruthen, oder 16000 Dresdensche
 Ellen gerechnet. W. R. W. Plura de hoc aliisque in Collegiis instante
 hyeme habendis tradam. Prælegam enim Collegium.

- I. In *methodum tractandi jura Crivilia & publica*, qua studiosi plurimum
 carent, per longas ideo ambages circum errantes & serius ad veram
 eruditionem pervenientes, ad quam leviori via ducti, sine magno
 labore maturius perducere potuissent. *ab hora II-III.*
- II. Alterum erit in *Principia Juris* in quo *Struvii Compendium* elegi *III-IX.*
- III. In *Jus Publicum Germanie* ad ductum *Brunnemanni Compendii*. *X-XI.*
- IV. In *Historiam Germanie* ad normam *operis mei* nundinis hymalibus
 publici juris faciendi. *IX X.*
- V. Quintom denique in *Jus Nature* itidem ad ductum *Principiorum*
 meorum, quæ hæctenus jam docui. *XI-XII.*

(o) urget hoc illustri Dominus Ludovicus in Comment. ad A. B. (p) P. 3. L. 2. c. 2. p. 312 & 317.
 item part. 7. c. 3. p. 356.

LIPSIÆ, Litteris Fleischerianis.

110

Pon Ve" 368, Fa

ULB Halle 3
004 175 832




LD/P





F. R. 44.

Ve
368



DE
SAXONICO
COMMUNI
 DISSERIT
 SIMVLQVE
 NES ACADEMICAS
 BRVMALES
 INDICAT
FRIDERICVS GLAFEY
 IL. ET J. V. D.
 ANNO CIO DCC XX.



ccc